

**III FEBRVARII
DE SANCTIS MARTYRIBVS SEBASTENIS
BLASIO EPISCOPO, II PVERIS, VII
MVLIERIBVS,
PRIMA ACTA**

ex vetustissimis MSS. & Bon. Mombr.

CAPVT I

**S. Blasij comprehensio.
Curationes hominum
ac brutorum.**

[1] a In Sebastea ciuitate Cappadociae tradidit Deus ad correptionem eos, qui secundum gratiam eius filij & hæredes existebant: ex Sebastea quidem Martyres sibi elegit vsque ad sanguinem, quæ in eo est, caritatem, fidem atque confessionem ostensuros. Et quod melius est, non solum viros, sed & mulieres elegit ostensuras agonem certaminis, [Persecutione Sebasteæ sæuiente,] & vsque in finem in Christo, per Crucis exemplum, coronam adepturas.

[2] Vnus horum extitit noster coronatus & victor Blasius. [Blasius Ep. vir sanctus,] Iste enim Sanctus per totum vitæ suæ tempus mitis degebat, sicut & in Iob legimus, purus, innocens, Deum colens, verax, mansuetus, ab omni opere prauo se abstinens. [Iob 1.] Videntes ergo irreprehensibilem eius vitam hi qui in Sebastea Cappadociae ciuitate fideles existebant, elegerunt sibi eum in Episcopum. Ipse vero pergens in montem qui vocatur Argei, habitauit ibi in quadam spelunca: [latet in monte:] & concurrebant ad eum agrestes feræ. Et si forsitan contigisset e quocumque dolore teneri qualemuis

ex eis, tamquam intellectuales concurrebant ad eundem Sanctum in speluncam, [accedentes ad se feras sanat:] & vsque dum imponeret manus eis, benedicens eas, non recedebant ab eo.

[3] In illis itaque diebus iussit Agricolaus Præses congregari agrestes feras. Egredientes autem bestiarum comprehensores, venerunt in montem, in quo degebat S. Blasius Episcopus. [sic inuentus] Et videntes speluncam, & multitudinem bestiarum adstantium ante eum, consternantes se ad inuicem, & admirati dixerunt: Quid hoc vult esse? appropiantes autem viri illi ad speluncam, inuenerunt S. Blasium orationem suam facientem. Et reuersi nuntiauerunt Præsidi ea quæ viderant. Audiens autem Praeses iussit plures milites cum illis pergere, vt quantos inuenirent illic esse absconsos Christianos sibi præsentarent. Euntes autem illi in prædictum montem, qui vocatur Argei, & ingredienti speluncam, [ducitur ad Præsidem;] inuenerunt S. Blasium orantem; & dixerunt ei: Egredere; vocat te Præses. Videns autem eos Sanctus, gaudisus est, & dixit: Filioli mei, eamus simul. [iam diuinitus præmonitus:] Memor enim mei est hodie Dominus. In hac enim nocte tertio mihi apparuit dicens: Surge, offer mihi hostias, vt assoles. Et nunc, filioli mei, bene venistis. Dominus meus Iesus Christus nobiscum est.

[4] Cum ergo venirent, in itinere conuertebat paganorum paruulos ad Deum per bonam suam admonitionem, & incessabili eius oratione mirabilia faciebat. Oblatos sibi infirmos, [in via multos sanat manuum impositione;] imponens super eos manus, sanos eos absoluebat; non tantum homines, sed etiam & diuersa animalia, cum se immitterent ad inuicem: aut sicut sæpius contingit os impingi in guttur hominis, aut etiam aliud aliquid tale subito fieri; deducebant illi eos, & per dignas eius orationes saluos eos Deus reddebat. Accidit autem vt cuiusdam mulieris filius vnicus, dum piscis portionem

ederet, subito os in guttur eius infingeretur, vt pæne mortuus maneret puer. Mater vero eius audiens mirabilia Beati illius, apportans puerum iactauit eum ante pedes eius semiuuum cum lacrymis clamans, [inhærentem pueri gutturi spinam piscis] & dicens S. Blasio: Miserere filij mei, serue Saluatoris nostri Iesu Christi, eo quod vnicus mihi est. Indicauit autem S. Blasio, quod subito contigerat filio suo. Sanctus vero Blasius manus imponens puero, & guttur eius signans, eleuansque oculos ad cælum, orauit dicens: Qui inuocantibus te Domine Iesu Christe velox existis auditor & saluator, [precibus eximit,] exaudi orationem serui tui, & infixam spinam puero isti per tuam inenarrabilem abstolle virtutem, saluans eum. Et amodo siue in hominibus, siue etiam in volatilibus contigerit aliquando infigi qualeuis os; & memor fuerit nominis mei serui tui, dicens: Domine Iesu Christe, [Patronus his incommodis futurus.] verus Deus noster, per orationem serui tui Blasij, festina in adiutorium meum; mox fac in eum misericordiam tuam ad gloriam sancti tui nominis: & oratione facta mox sanum reddidit puerum matri suæ.

Annotata]

In MS. Ecclesiæ Cæsaris insulæ ita efferuntur prima hæc: In Sebaste Cappadociæ ciuitate traditi sunt ad correptionem hi qui secundum gratiam Dei filij & hæredes existimabantur. Ast MS. Gladbacense ita habet: Cum semper Dominus dilexisset eos, qui secundum gratiam eius Filij hæredes existebant, ex Sebaste &c.

Metaph. sedentem tamquam in thalamo, & diudentem vnicuique id quod ei erat opus, per benedictionem atque curationes, & Deo fundentem preces.

Mombr. manum. Metaphr. manu imposita gutturi pueri, sic orauit.

CAPVT II

Quæstio I & II. Beneficentiæ remuneratio.

[5] Cognitus autem erat Sanctus ille & in a Nicopoli: doctus enim erat & artis medicæ. Dum ergo per iter veniret ipse S. Blasius; mulier erat quædam paupercula, vnum habens suem, & nihil aliud possidens nisi tantum illum; & subito lupo irruens abstulit eum. Illa vero deprecata est S. Blasium contra eandem feram. Sanctus autem ipse hoc audiens, [viduæ suae a lupo restitui impetrat:] subridens dixit ei: Mulier noli tristari, reddetur tibi porcus tuus, & veniebat periter. Ipse vero lupo in itinere suo festinans, & illæsum conseruans porcum, reddidit eum viduæ.

[6] Ingresso autem in ciuitatem Metropolim Sebasteæ S. Blasio, iussit eum Agricolaus mitti in carcerem. [coniicitur in carcerem:] Et alio die Præses sedens pro tribunali, iussit sibi præsentari S. Blasium. Quem videns impius ille, cæpit primitus blandis ei sermonibus quasi suadere, & salutis verbum in eum inchoare, dicens: Gaude Blasi, amice deorum. Sanctus autem Blasius respondens dixit: [ridet Præsidis blanditias: cæditur fustibus:] Gaude & tu, optime Præses. Verum non eos dicas deos, sed dæmones, quia æterno igni traduntur, cum his qui eos honorant. Iratus autem Præses, iussit eum fustibus cædi. Et dum diu cæderetur, dicit Præsidi: Insensate persuasor animarum, alienare me speras per has pœnas ab amore Dei mei, & saluatoris Iesu Christi: sed non potes, quia habeo corroboratorem meum & saluatorem ipsum Dominum Iesum Christum, filium Dei viui. Dum ego non valeret iniquus ille alienare eum a Christi fide, [reducitur in carcerem:] iussit iterum reduci eum in carcerem. Audiens vero fidelis illa vetula & vidua sustinentiam sancti Martyris & athletæ Christi Blasij, & perseuerantiam fidei eius, iussit occidi porcum, quem receperat a fera illa per S. Blasij iussionem: & coctum caput eius & pedes mittens

in aliquod vasculum, [cibo recreatur a pia vidua: iubet sic agi sui memoriam,] & ex fructibus terreae lumine accenso, obtulit sancto Martyri Christi in carcere, & petiit eum sumere. Gratias vero agens ille, gustans benedixit eam, & dixit: Mulier hoc exemplo perface memoriam meam, & non minuetur domus tua bonis, quæ Dei sunt. Sed & si quis te imitans, hoc exemplo memoriam mei fecerit, incessanter habebit a Deo meo cæleste donum, [promissa mercede:] & benedictionem omnibus diebus. Et beata illa anus acceptans mandatum sancti Martyris, perrexit gaudens in domum suam, glorificans & benedicens Deum. Et expletum est in hac fideli vidua, quod enarratur vbique & quod fecit hæc ad memoriam eius.

[8] Tyrannus autem ille in secundo secretario iussit sibi præsentari sanctum Christi Martyrem Blasium. Et deducto eo, dicit ei: Blasi adoras Deos, aut vis perire? S. Blasius respondit: Dij qui cælum & terram non fecerunt, pereant: illa vero quæ tu mihi quasi terrens tormenta promittis, vitæ mihi æternæ fiunt prouisoires. Videns autem iniquus ille, [suspensus, ferreis pectinibus raditur:] immutabilem eius mentem, iussit eum in ligno suspendi, & cum ferreis pectinibus carnes eius frangi. Dum ergo carnes eius inciderentur, beatissimus Martyr Christi Blasius dixit impio Iudici: O crudelissime, pœnis putas me terreri: sed habeo Dominum meum Iesum Christum, qui me confortat: & non dubitabo visurus has pœnas, expectans desiderabilia bona illa, quæ promissa sunt quærentibus eum. Itaque iussit impius Præses deponi eum de ligno, [reducitur in carcerem.] & mitti eum in carcerem.

Annotata

Camillus Tutinus scribit cap. 3 Nicopoli transisse Blasium, quod haud satis probabile est, nisi fallunt tabulæ geographicæ.

CAPVT III

VII sanctarum mulierum martyrion.

[9] Deportato autem eodem sancto Christi Martyre Blasio, septem beatissimæ mulieres timentes Deum, sequebantur eum, suscipientes guttas sanguinis, quæ ab eo cadebant, & semetipsas vngentes. Quas videntes iniqui illi, qui eum ducebant, tenentes eas deportauerunt Præsidi, [eius sanguinem colligentes 7 mulieres capiuntur:] dicentes, quod & ipsæ Christianæ essent. Videns autem eas, dixit eis: Acquiescite, & sacrificate diis sacrificium. Responderunt autem illæ, & dixerunt ei: Si velis vt credamus & sacrificemus diis tuis, eamus nos iuxta lacum, & tu mitte deos tuos in sacco, bullans eos plumbo, & nos lauantes facies nostras in lacu procidentes sacrificabimus eis. Lætus autem effectus Præses, attulit illis deos suos. Ipsæ vero Christianæ mulieres accipientes eos iactauerunt in profundum lacus. [idola Præsidis in lacum proiciunt:] Videns autem Præses quod factum est, alienatus facie, iratus est nimis, & percutiens manus suas. vt leo rugiens circa mulieres motus, dixit ministris: Quare non tenuistis deos nostros, vt non mitterentur in profundum lacus? Qui responderunt: In dolo tecum locutæ sunt mulieres istæ, & deos nostros profundauerunt. Mulieres autem respondentes dixerunt: Deus verus dolum non patitur aliquando; sed ligna vacua & lapides & aurum & argentum & omnes qui confidunt in eis.

[10] Et iratus Præses iussit in caminum ignis mitti eas, & desuper plumbum fundi in eas, & pectines ferreos adduci, & septem æreas tunicas exardere; expandere autem tunicas candentes in alio loco, & dixit sanctis mulieribus: Eligite vobis vnum de duobus; aut sacrificantes diis, [contemnunt proposita tormenta,] eruite animas vestras, ambulantes super lineam; aut si nolueritis, iudicari habemini in eis, quæ parantur vobis, tormentis. Vna vero ex ipsis, duos filios habens, currens tulit lineam, & misit

eam in caminum, & combusta est. e Pueruli vero dixerunt matri suæ: [pueris 2 sequi eas volentibus:] Non nos derelinquas in terra hac perire, sed sicut replesti nos dulci lacte tuo, ita reple nos & regni cælestis gaudiis.

[11] Mox autem iussit Præses suspendi eas, & carminari carnes earum cum pectinibus illis ferreis. Videbant autem milites illi, quod pro sanguine lac carnes earum stillabant, & carnes earum sic erant tamquam flamma ignis, [laniata carne, lac pro sanguine fundunt:] & vt nix dealbabantur. Angeli autem Domini descendentes de cælo & salutantes eas dicebant eis: Nolite dubitare; bonus enim operarius initium faciens in messem, & explens, benedictus est ab eo qui eum conduit, & accipiens mercedem suam lætus reuertitur in domum suam. [animantur ab Angelis: mittuntur in fornacem, quæ extinguitur:] Ita & vos elaborate, vt percipiatis a Christo Deo vitam æternam. Tunc Præses iussit deponi eas, & mitti in fornacem ignis, & missis eis mox ignis extinctus est. Et egressæ a fornace illæ beatissimæ mulieres, dixit ad eas Præses: Omittite vestras magicas ambitiones, & procidentes adorete deos nostros. Sanctæ vero septem mulieres tamquam ex vno ore dixerunt: Gloria tibi qui regnas Iesu Christe Deus noster, qui etiam & nos dignatus es vocare in viam tuæ pietatis. Et dixerunt impio: Festina explere, quod in nobis cœpisti, eo quod & nos vocatæ sumus in regnum cæleste.

[12] Tunc iratus ille dedit in eas sententiam. Et tollentes eas iniquitatis ministri duxerunt ad præfinitum locum. [morte damnantur:] Sanctæ vero mulieres deprecabantur eos parcere eis orare, & flectentes genua dixerunt: Quis Deus magnus sicut Deus noster, qui nos separauit a tenebris, & vocauit in hanc lucem dulcissimam? [oratione facta,] Et ideo petimus te, magne & terribilis Domine Deus noster, vt connumerare nos digneris primæ Martyri tuæ Theclæ; suscipiens preces beatissimi Patris nostri Blasij,

qui nos edocuit in hoc gloriosum martyrium, & ad possessionem vitæ æternæ peruenire. Et hæc orantes, & surgentes a terra, expandentes manus suas ad cœlos, & prospicientes oculis & mundo corde, vnanimes dixerunt: Gloria tibi Domine Deus noster, qui nos dignatus es in hoc tuo sacrificio sistere, sicut oues: suscipe ergo animas nostras coram sancto & cælesti tuo sacrificio. Infantes vero illi præcurrentes, ad eorum matrem dixerunt: [plaudentibus 2 pueris,] Coronæ vestræ præparatæ sunt apud cælestem Dominum Deum nostrum. Commendate etiam nos sancto & fortissimo Christi Martyri Blasio Episcopo & Patri nostro. Iniquitatis autem ministri truncabant capita sanctarum septem mulierum: [occiduntur.] & sic migrauerunt ad Dominum truncatis capitibus propter veram fidem Domini nostri Iesu Christi.

Annotata

Mombr. procedentes. MS. Gladb. præcedentes. Camillus Tutinus scribit, Tyrannum vltro iussisse deduci eas in montem lacui vicinum, & nisi statuam louis, quam ferebant lictores, adorarent, saxis singularum collo alligatis, in lacum eas proiici. & cum ipsæ statuam contemplandam poposcissent & in lacum abiecissent; ipsas quoque in eum proturbatas, sed illæsas exiisse.

Metaph. splendidum autem linteum expandi in alio loco. Bellou. & septem camiseas lineas in alio loco poni ac mox vestes lineas vocat.

Camillus Tutinus scribit, postquam pectinibus ferreis discerptæ fuerant, indutas tunicis ferreis ignitis, collocatasque in sedibus itidem e ferro & ignitis. Acta prima non explicant fueritne hoc illis admotum tormentum, an solum eius intentatus terror. Tutino vtcumque consentiunt Acta ex MS. Baronij.

Addit Bellouac. Illarum autem septem mulierum, quando decollatæ sunt, animæ de corporibus prodite tamquam Virgines de thalamo visæ sunt; omnes autem monilibus refulgentes, & ad cælos quasi alarum remigio peruolantes. Idem aliis verbis habet S. Antoninus. & Petrus Natal. Tutinus solum habet, visas egredi animas, immenso cinctas splendore.

CAPVT IV

S. Blasij & duorum puerorum cædes.

[13] In tertia vero processione sedens pro tribunali iniquitatis Dux, iussit sibi præsentari beatissimum Episcopum Blasium. Et adducto eo, dixit ei: Vel nunc adoras deos, an non? Respondens autem Martyr Christi, ait ei: Impie, cæcus es, & non vides lumen Dei verum. Nam quis hominum aliquando cognoscens Deum verum, idola adorat? [S. Blasius, contemnens Præsidis minas,] Tu autem inique & obscure, scito quod Deum verum dereliquisti, & lapides adoras. Nam ego non dubitabo minas tuas. Vt ergo vis, ita exerce in me. Carnem quidem meam tradam tibi; nam animæ meæ Deus habet potestatem. Respondens vero Præses, dixit S. Blasio: Si te iactauero in lacum, quid te poterit adiuuare, quem dicis Christum, quem & adoras? Sanctus autem Christi Martyr ait illi: Ecce & execrabiles dæmones adoras, & speras saluati: & ego Deum viuum & verum adorans, in æternum credo saluus esse: [proiicitur in lacum:] & nunc edoceam te in hac aqua Dei mei virtutem. Tunc iussit impius ille mitti eum in lacum. Ipse vero procedens signauit aquam; & mox stetit sicut arida. Et sedens in medio lacus, dixit ad ministros iniquitatis: Si habetis deos, ostendite virtutem eorum, [submersis militibus,] & introite & vos huc. Et ingressi sexaginta quinque viri, mox dimersi sunt in profundo aquæ. [educitur ab Angelo,] Angelus autem Domini descendens ad S. Blasium, dixit ei: Gloriose egredere, & suscipe præparatam tibi a Deo coronam.

Tunc surgens S. Blasius ab aqua, [luce circumfusus:] & ambulans sicut in arida egressus est: & apparuit lux magna ante faciem eius, vt etiam admirarentur omnes qui videbant eum.

[14] Impius vero dixit Christi Martyri: Intantum decreuisti, vt non adores deos? S. Blasius dixit: Cognosce miser, quod Christi seruus sum, & non adoro dæmones iniquos. [addicitur morti:] Tunc iratus sæuissimus ille dedit in eum sententiam, dicens: Qui me contempsit, & Imperio contradixit, deosque inhonorauit, & sexaginta quinque viros perdidit, capite truncetur, vna cum duobus illis puerulis. Sanctus autem Blasius orauit dicens: Domine Deus meus, qui me liberasti ab idolis, qui de tenebris lucem fecisti; Deus virtutum, qui sedes super Cherubim, [orat pro iis qui se inuocabunt:] & aperis cataractas cælorum, qui expandis arcum tuum in manu tua, qui diabolum percussisti, & draconem interfecisti; exaudi me seruum tuum: & si quis procidens adorauerit hoc sacrificium, qualiscumque spina, aut etiam os in guttur cuiuscumque personæ impegerit; si etiam & in diversas infirmitates inciderit; siue in tribulationem aut periculum, aut si persecutionem patitur; suscipe, quæso, petitionem fideliter petentium te, Domine. Hæc autem eo orante descendit nubes de cælo, & infulsit in eum, [Christus in nube spondet facturum se quæ orarat:] dixitque ei Dominus: Omnem petitionem tuam adimplebo, athleta dilectissime, non tantum hæc, sed & sicut viduæ illi, sicut orasti, faciam & benedicam omnem domum perficientium memoriam tuam. Horrea vero eorum replebo omnibus bonis, propter tuam bonam confessionem, & fidem quam in me habuisti.

[15] Et hæc loquente Domino Iesu athletæ suo, mox spiculator eiiciens beatissimum Martyrem Christi Blasium, [plectitur capite, cum 2 pueris:] vna cum duobus illis puerulis, a prætorio, amputauit capita eorum in Sebastea

ciuitate, foris muros, super quemdam lapidem, mense Februario die tertia. Accipiens vero quædam mulier prudens & Deum timens sancta eorum corpora, [sepelitur:] nomine Elissa, reposuit in quo defuncti sunt loco pariter. In quo loco mirabilia Domini nostri Iesu Christi exuberant vsque in hodiernum diem. [miraculis claret:]

[16] Audiens vero beata illa anus transitum sancti Martyris Christi, expleuit memoriam eius iuxta intentionem, quam fecit in carcere. [peragitur anniuersaria eius memoria.] & non tantum illa mulier ex fructibus terræ afferebat benedictionem in reliquum; sed etiam omnes amici eius: qui iuxta eius traditionem facientes, benedictionis gratiam iterum in tempore eodem reduxerunt, non tantum eidem fidei viduæ, sed etiam & omnium eorum amicorum. Traditum enim est hoc vsque in hodiernum diem omnibus fidelibus, perficientibus memoriam beatissimi & gloriosi Christi Martyris Blasij, cum lampadibus, & hymnis, & gloria indesinenter. Passus est enim beatissimus Christi Martyr Blasius in Sebastea ciuitate, imperante Agricola, regnante autem in nobis Domino nostro Iesu Christo, cuius est honor & gloria in sempiterna secula seculorum, Amen.